

I

NON OPIBVS AVT HONORIBVS SED ANIMI TRANQVILLITATE VITA BEATA EFFICITVR

Strophe Alcaica

Ōdī profānum vulgus, et arceō :
Favēte linguīs : carmina nōn prius
Audīta, Mūsārum sacerdotēs,
Virginibus puerisque cantō.

Rēgum timendōrum in propriōs gregēs,
Rēgēs in ipsōs imperium est Iovis,
Clārī Gigantēō triumphō,
Cūncta superciliō moventis.

Est, ut virō vir lātius ōrdinet
Arbusta sulcīs ; hic generōsior
Dēscendat in Campum petītor ;
Mōribus hic meliorque fāmā

Contendat ; illī turba clientium
Sit māior : aequā lēge Necessitās
Sortītur īnsīgnēs et īmōs ;
Omne capāx movet urna nōmen.

Dēstrictus ēnsis cui super impiā
Cervīce pendet, nōn Siculae dapēs
Dulcem ēlabōrābunt sapōrem,
Nōn avium citharaeque cantūs

Somnum redūcent : somnus agrestium
Lēnis virōrum nōn humilēs domōs
Fastīdit, umbrōsamque rīpam,
Nōn Zephyrīs agitāta Tempē.

Dēsīderantem quod satis est, neque
Tumultuōsum sollicitat mare,
Nec saevus Arctūrī cadentis
Impetus, aut orientis Haedī,

Nōn verberātae grandine vīneae
Fundusque mendāx, arbore nunc aquās
Culpante, nunc torrentia agrōs
Sīdera, nunc hiemēs īnīquās.

Contracta piscēs aequora sentiunt,
Iactīs in altum mōlibus ; hūc frequēns
Caementa dēmittit redemptor
Cum famulīs, dominusque terrae

Fastīdiōsus : sed Timor et Minae
Scandunt eōdem quō dominus ; neque
Dēcēdit aerātā trirēmī, et
Post equitem sedet ātra Cūra.

Quod sī dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurārum sīdere clārīor
Dēlēnit ūsus, nec Falerna
Vītis Achaemeniumque costum :

Cūr invidendīs postibus et novō
Sublīme rītū mōliar ātrium ?
Cūr valle permūtem Sabīnā
Dīvitiās operōsiōrēs ?